

rae fabellae sunt, et nonnisi unum testem, eumque remolum habent<sup>1</sup>, vel certe non suppeditant nobis illa adiuncta, quibus ad quaestionem dirimendam opus foret<sup>2</sup>.

ART. IV. *De origine sermonis*

83. Coronidis loco quaestionem de origine sermonis innuere par est<sup>3</sup>.

1° Sententia Rationalistarum, qui contendunt sermonem in homine sponte sua exsurrexisse<sup>4</sup>, omnino absurda est, primo, quia si sermo sponte sua in nobis oriretur, non tantum unius labii omnes homines essent, sed ne ulla quidem disciplina indigerent ad sermocinandum, qua reapse indigere nemo diffitetur; secundo, quia firmum ratumque est hominem non loqui, priusquam alios loquentes audiant.

2° Non desunt Philosophi catholici, qui docent homines sermocinandi virtute a Deo donatos et ratione utentes, potuisse per se invenire sermonem. Ipsi autem sententiam suam adstruunt hoc modo: In primis dubitari nequit, quin aliquis homo rem sensibus occurrentem quodam signo aliis communicare potuerit. Cum autem innata vi loquendi praeditus esset, nihil repugnat eum protulisse sonum syllabis quibusdam distinctum: iam ipse, cum ratione polleret, potuit determinare illum sonum ad rem commonstratam significandam, idque eo consilio praestare potuit, ut ab aliis intelligeretur; et hi, cum etiam ratione fruerentur, potuerunt intelligere, qua mente alter sono illo usus sit. Nec quidquam difficultatis in significandis rebus spiritualibus nancisci potuit; nam sicut, aiente s. Thoma, « sensibilia intel-

<sup>1</sup> Huiusmodi est narratio Herodoti (*Hist. lib. II, c.2*) de quodam infante, quem Psammeticus rex Aegyptiorum ita enutriendum curavit, ut nullius hominis vocem audiret.

<sup>2</sup> Id certe dicendum est de triginta infantulis, quos Akebar, Imperator Mogorum, procul ab omni hominum consortio educando curavit. Cf Juvency, *Hist. Soc. Ies.*, pars V, lib. XVIII.

<sup>3</sup> Haec quaestio cum altera, quam antea excussum, logicam connexionem non habet. Etenim haec duo, nempe hominum intelligentiam posse quodammodo sine sermonis auxilio evolvi, simulque homines non posse viribus suis confidere illud maxime egregium opus, nempe sermonis inventionem, secum non pugnant.

<sup>4</sup> Hanc sententiam nuperime propugnavit Renan, *De l'origine du language*, c. XII.

lecta manuducunt in intelligibilia Divinorum<sup>1</sup>, ita ex nominibus significantibus res materiales procedere potuit ad nomina, quibus res spirituales denotantur, praesertim propter quamdam analogiam, quam homo inter ultrasque res percipit.

3° Quod si historia consulatur, una cum loqua loquela ipsum sermonem primo homini a Deo infusum fuisse, veritati consentaneum est, tum quod Sacrae Litterae hominem in initio loquentem inducunt; tum quod primus homo, utpote non solum auctor, sed etiam institutor totius generis humani, a Deo constitui debuit aetate perfecta; iisque omnibus instructus, quae ad aliorum instructionem, et gubernationem pertinent<sup>2</sup>, ideoque etiam sermone, cuius longe maior necessitas inguebat<sup>3</sup>.

CAPVT III.

De vi, et potestate notionum universalium

ART. I. *Diversae Philosophorum opiniones recensentur*

84. Tres sunt circa vim universalium Philosophorum opiniones, quae vocari solent *Nominalismus*, *Conceptualismus*, et *Realismus*. Nominalismus in eo consistit, quod denegat menti humanae conceptiones universales, et statuit universalia vel esse pura nomina, seu *flatus vocis*, vel esse voces, aut conceptiones, quae, si spectentur in se, sunt singulares, sed universales dici possunt ex eo quod plures res singulares designant. Haec sententia priori modo tradita fuit ab Epicureis; posteriori modo a Guilielmo Ockamo saec. XIV, et, secundum verisimiliorem sententiam, etiam a Roscellino, aliisque Nominalibus saec. XI<sup>4</sup>.

85. Realismus est sistema eorum, qui arbitrantur universalia, prout universalia sunt, extra mentem nostram *actu* inveniri. Ipsi hanc sententiam diversis modis explicant. Universalia, secun-

<sup>1</sup> *Og. dispp., De Ver., q. X, a. 6 ad 2.*

<sup>2</sup> Cf s. Thom., I, q. XCIV, a. 3 c.

<sup>3</sup> Non desunt pauci inter ipsos Catholicos, qui sermonem a primo homine excogitatum fuisse opinantur, atque hanc sententiam a s. Gregorio Nysseno in *Orat. XII Contr. Eunom.* traditam esse putant. At de huius sancti Doctoris sententia vid. Al. Coletta in egregio op. *Sull' origine del linguaggio*, § III, p. 44 sqq, Napoli 1871.

<sup>4</sup> Diximus, secundum verisimiliorem sententiam, quia non desunt nonnulli historicci, qui contendunt Roscellinum in ea opinione fuisse, ut putaret voces universales omni significatione vacare.

dum Platonem, sunt ideae, quae non solum a mente nostra, est etiam a rebus omnino separatae sunt<sup>1</sup>. Reales autem mediae aetatis docuerunt universalia, e. g., humanitatem communiter sumtam, non quidem in se ipsis, sed in rebus singularibus ita existere, ut propria existentia gaudeant, a rebusque singularibus, in quibus insunt, realiter distinguantur.

86. Demum Conceptualismus sancit universalia neque reali existentia gaudere, neque esse voces, vel conceptus, qui plures res singulares repraesentant, sed esse nostrae mentis conceptus, quibus aliquid universale, nempe aliquid commune indefinitis rebus singularibus respondet. At vero Conceptuales non eadem ratione suam sententiam explicant. Aliqui enim, puta Abaelardus, conceptiones universales nullo modo obiectivas esse contulerunt. Alii, inter quos Aristoteles, et post eum praecipui Scholae Doctores, docuerunt illas habere fundamentum in re, sive esse *actu* in intellectu, sed *fundamentaliter*, et *potentialiter* in rebus<sup>2</sup>.

87. Ex recentibus Nominalismum secuti sunt omnes Sensistae; Realismum omnes Pantheistae, ex eo quod ipsi blaterant universalia esse emanationes Dei; Conceptualismum autem primo modo acceptum, omnes, qui originem idearum vel per ideas innatas, vel per formas ipsius subiecti cogitantis explicarunt; altero autem modo acceptum, omnes, qui s. Thomae placita in explicanda origine idearum sectantur.

#### ART. II. *Nominalismus et Realismus refelluntur*

88. Nominalium sententiam a veritate aberrare sequenti propositione ostenditur:

*Universalia neque sunt voces, cuiuslibet conceptionis expertes, neque sunt voces, aut conceptiones singulares, quibus non aliquid universale, sed plura individua designantur.*

*Probatur* prima pars. Signum, prout signum est, ad aliquid, quod significat, necessario refertur; ac proinde absurdum est esse signum, quod nihil significet. Atqui voces nihil aliud sunt, quam signa, quae conceptiones animi significant. Ergo absurdum est

<sup>1</sup> Utrum Plato senserit has ideas existere extra Deum, an in Deo, lis inter eruditos nullo non tempore fuit, eaque adhuc sub iudice est.

<sup>2</sup> Conceptualismus, hac altera ratione explicatus, realismus temperatus etiam vocari solet,

universalia esse voces, quae nullam conceptionem significant.

89. *Probatur* altera pars. Singula individua proprios conceptus habent, quia singula individua qualitatibus sui propriis gaudent, per quas alia ab aliis discriminantur. Atqui ea, quae proprios conceptus habent, propriis nominibus designanda sunt. Ergo fieri non potest, ut nomine, et conceptione singulari plura individua designentur. Attamen, quoniam omnibus individuis quedam qualitates communes sunt, unica conceptio potest representare eorum qualitates communes, atque unicum nomen potest illas significare. Itaque vox, sive conceptus communis non designat plura individua, sed quidquam plurium individuorum commune.

90. Utraque propositionis pars confirmatur ex eo, quod, ut Leibnitius ait, admissa sententia Nominalium, «evertuntur scientiae, et Sceptici vicere<sup>3</sup>»; siquidem scientiae, ut saepe innuimus, sine enunciationibus universalibus existere non possunt.

91. Sententiam Realium, quocumque modo explicetur, absurdum esse his duabus propositionibus evincitur:

Prop. 1<sup>a</sup>. *Universalia nequeunt esse aliquid actu existens, et ab ipsis rebus singularibus omnino separatum.*

*Probatur.* Universalia, e. g., humanitas, essentias rerum constituant, alioquin non possent praedicari de rebus secundum essentiam. Atqui repugnat essentiam *actu* esse extra rem, cuius essentia est, quia res sine essentia esse nequit. Ergo fieri non potest, ut universalia omnino a rebus discreta, et seiuncta *actu* existant.

92. Prop. 2<sup>a</sup>. *Universalia non existunt actu in rebus singularibus.*

*Probatur.* Quoniam universalia, uti diximus, essentias rerum constituunt, si ipsa actu existerent in rebus singularibus, conseruerent rebus singularibus essentiam universalem inesse, et quoniam quaelibet res per essentiam suam efficitur id, quod est, res singulares, quippe quae essentia universalis gaudent, simul singulares, et universales dicendae forent. Atqui id repugnat. Ergo.

93. Itaque, etsi essentia universalis non sit, uti antea demonstravimus, omnino seiuncta a rebus; tamen ipsa in rebus singularibus actu non invenitur, prout est universalis, sed prout a

<sup>1</sup> Praef. ad Niz., § XXXII.

qualitatibus singularibus in unaquaque re determinatur. Exemplo rem declaremus. Si humana natura, prout est universalis, esset actu in individuo, puta in Socrate, Socrates esset species humana. Ex quo illud etiam fluit, quod si tota species humana esset in Socrate, Socrates simul experiretur affectiones omnium individuorum hominum. Ita, si tota species humana esset in Socrate, consequitur, ubicumque est humanitas, esse etiam Socratem, ideoque Socratem esse simul Romae, Athenis, et in omnibus locis, in quibus singuli homines versantur; quae omnia sunt manifeste absurdia.

ART. III. *De Conceptualismo*

94. Sententiam Conceptualium non quidem priori modo, sed secundo modo acceptam veritati esse consentaneam ex demonstratione sequentium propositionum colligitur:

Prop. 1<sup>a</sup>. *Universalia non sunt universales conceptiones intellectus, quibus nihil obiectivi respondet.*

*Probatur.* Si universalibus conceptionibus nihil obiectivi, et realis responderet, dicendum esset conceptiones universales ex ipsa rerum natura haud depromi. Atqui id repugnat. Ergo.

95. *Minor* ita demonstratur. Si conceptiones universales ex ipsa rerum singularium natura haud depromerentur, impossibile foret cunctas res singulares in quasdam species, et genera digere, e. g., Socratem ad speciem humanam, non vero ad belluina, et contra ea bucephalum ad belluina, non vero ad humanam referre, atque utrumque generi animantium accensere. Si nihil est in Socrate, quod eum a bucephalo distinguat, ecce vel quilibet e plebe in Socratem incidens eum pro homine, et non pro bellua habet? Non certe ex conventione, tum quod experimur in eo etiam illos consentire, inter quos nulla conventione facta est, tum quod conventione circa quaedam dumtaxat individua, non vero circa omnia existere posset. Necesse igitur est aliquid esse in rebus singularibus, cuius gratia homines sine ulla conventione res ad easdem species, eademque genera reducunt.

96. Confirmatur propositio ex eo, quod, posita horum Conceptualium sententia, nulla scientia obiectiva existere potest. Etenim, cum scientiae sine universalibus conceptionibus existere nequeant, vis cuiuslibet scientiae vi conceptionum universalium respondere debet. Ergo, si universalibus conceptionibus nihil rea-

lis, et obiectivi respondet, scientiae quoque nihil exhibere possunt, quod in rerum natura sit, ac proinde intra idearum ambitum concludantur necesse est.

97. Prop. 2<sup>a</sup>. *Universalia actu sunt in intellectu, sed fundamentaliter in rebus.*

*Probatur* 1<sup>a</sup> pars. Natura rerum, ut s. Thomas argumentatur<sup>1</sup>, vel dicitur habere rationem universalitatis in se, nempe absolute spectata, vel in rebus singularibus, vel in intellectu. Atqui non primum, nam quidquid convenit naturae rerum absolute spectatae, e. g., homini, prout homo est, convenit omnibus individuis illa comprehensio; quocirca si natura humana, prout est natura humana, haberet rationem universalitatis, universalitas conveniret cuilibet individuo homini, id quod absurdum est. Non alterum, quia quidquid est in individuo, determinations individuales habet, ac proinde « non invenitur in eo communitas aliqua, sed quidquid est in eo, individuatum est<sup>2</sup> ». Restat igitur ut universalia *actu* in intellectu existant.

98. Confirmatur. Notiones universales, ut in scholis traditur, fiunt per abstractionem, et intentionem universalitatis<sup>3</sup>. Per abstractionem, quatenus intellectus avocat cogitationem ab individuis, in quibus aliqua natura invenitur, aut inveniri potest, et non aliud cogitat, nisi ea, quae essentialiter ipsam constituant. Per intentionem universalitatis, quatenus intellectus reflectitur super abstractam notionem illius naturae, et cogitat ipsam ad plura individua indeterminate referri posse. Atqui abstractio, et intentione universalitatis non nisi opus intellectus sunt. Ergo universalia *actu* non alibi, quam in intellectu esse censendum est<sup>4</sup>.

99. *Probatur* 2<sup>a</sup> pars. Natura, quam intellectus abstractam a conditionibus singularibus, atque universalem cogitat, eadem est, ac illa, quae determinata conditionibus singularibus in rebus invenitur, adeo ut illa vere praedicetur de singulis individuis, puta cum dicimus, *Petrus est homo*. Atqui, si ita se res habet, liquet intellectum in ipsis rebus fundamentum invenire, ex quo naturam ipsis communem velut universalem considerat. Ergo universalia fundamentaliter sunt in rebus<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> *De Ente et essentia*, c. 4. — <sup>2</sup> *Ibid.*

<sup>3</sup> Cf s.Thom., I,q.LXXXVI,a.1 c., et Qq.dispp., *De Pot.*, q.VII,a.11 c.

<sup>4</sup> Cf *Contr. Gent.*, lib. I, c. 26, n. 4.

<sup>5</sup> Utramque propositionis partem his paucis indicat Doctor noster: « Hu-